

cus Dei nomine abutuntur, ita ut per notas exteriores vix sciri queat, an populus hic christianus sit, an vero gentilis: nisi forte per modum quo campanas cognoscimus, quæ quidem non videntur a longe sed ex sonitu cognoscuntur: sic eos ex juramentis et blasphemis cognoscas, quæ e vicino audiuntur, cætera sciri aut judicari non possunt. Sed quæso quomodo possunt tales annumerari iis, de quibus dicit Isa. LXI. Qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus? » Hæc fere Granat. et verissime. Rursum quot millia sagorum et sagarum sunt in orbe christiano? Quot reprobi milites, homicidii, furtis, rapinis, blasphemis, adulteriis inquinati? Quot infideles servi? Ut in eos usurpare possimus id Domini: *Quis putas, est fidelis servus?* Quot divites perversi? Non enim frustra dicit Ecclesiasticus, c. XXXI. *Beatus dives, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris? Quis est hic? Et laudabimus eum.* Quot etiam reprobi pauperes qui furtis suæ necessitati consulunt?

Quin et de clericis S. Gregor. hom. XVII. in evang. prædicare non dubitavit: « Ecce mundus totus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator: quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus: » et apost. ad Phil. II. ait: *Omnes quæ sua sunt, quærunt.* Denique, adi aulas, tribunalia, officinas, nundinas, militiam, fora, naves, currus, etc. et invenies mores omnium ætatum corruptissimos, adeoque mecum senties.

Ex his patet majorem etiam Christi morum partem vivere in statu peccati mortalis. Juxta regulam autem S. Augustin. qui bene vivit, bene moritur: qui male vivit, male plerumque moritur.

Dices, fere omnes converti ad Deum in mortis articulo. Sed respondetur primo, plurimos obire sine sacramentis et pœnitentiâ, ut qui repente et inopinato pereunt: secundo, ex iis, qui sacramenta suscipiunt, multi ea male suscipiunt, partim ex ignorantia eorum, quæ ad fidem requiruntur et pœnitentiâ; partim ex defectu contritionis vel attritionis; partim ex defectu propositi emendationis; plurimi enim adeo immersi sunt mundo, ut spiritualia non nisi obiter, ex consuetudine vel metu cogitent et peragant; alii certis peccatis pertinaciter adherent, a quibus eorum animus tam repente avelli nequit; alii pravis habitibus involuti sunt; multi habent principia politica perversa, quæ nunquam deponunt, proposito emendationis contraria, ut

injurias ulciscendas, duella oblata non recusanda; ad haustus propinatos respondendum etiam cum periculo certo ebrietatis, statum, vitam et fortunam tuendam etiam cum damno et injuria proximi, etc. tertio, ex iis qui recta ea suscipiunt, multi non perseverant, sed relabuntur saltem in dilectionem pristinaorum peccatorum, recurrentium ad memoriam.

V. Ex ratione, primo, quia via ad infernum lata, facilis et obvia est, etiam non quærentibus; quia est via errantium: via vero cæli nec statim invenitur, nec sine horrore inquit, nec sine difficultate superatur, ratio est, quia ex una parte superat naturæ vires, ex alia natura hominis per peccatum vitiata et debilitata est, quæ etsi confortetur a gratia velut medicina, facile tamen relabitur in pristinam infirmitatem. Ita S. Hieron. Matth. VII. *Lalam, inquit, viam non quærimus, nec inventionem opus est, sponte sese offert, et errantium via est. Angustam vero viam nec omnes invenient, nec qui invenerint, statim ingrediuntur per eam; siquidem multi inventa veritatis via, capti sæculi voluptatibus de medio itinere revertuntur.* Ergo sicut facilius est a scopo aberrare, quam eundem tangere: ita facilius, a via cæli deviare, quam eandem tenere.

Secundo, ex S. Chrys. hom. LXXXIV. in Matth. quia pauci sunt, qui virtutes habent integras et ab omni parte absolutas: at qui salvus esse cupit, nulla ei virtus deesse debet, alioquin: *Quicumque offenderit in uno, factus est omnium reus,* ait S. Jacobus, c. II. id est, æque peribit, ac qui in omnibus delinquit. Sicut qui toto corpore armis tectus, unica tantum parte nudus vulneratur plaga lethali, uti Achab, III. Reg. ult. æque interit, ac si in cæteris etiam membris plagam accepisset. Vel sicut qui unam portam aperit hosti, totam urbem æque prodit, ac si omnes aperuisset.

Tertio, quia plurima sunt pericula et salutis impedimenta. Unde S. Antonio ostensus aliquando in visione mundus plenus laqueis; quibus visis exclamavit sanctus: *O Domine, quis tandem evadet omnes istos laqueos?* S. Bernardus, in serm. quodam ait: *In mari Massiliæ de quatuor navibus non perit una: in mari hujus mundi de quatuor animabus vix evadit una.* S. Anselmus iter faciens incidit in venatores et canes persequentes leporem, qui cum pene esset in canum dentibus, accurrit ad pedes sancti tremens et sudans. Itaque manu eum excepit Anselmus et socii dixit: *Talis est anima in extremo periculo vitæ, quam canes infernales persequuntur et devorare contendunt, ut in ejus vita.*

Hæc cum ita sint, auditores, quis non timeat

sibi? Quis non salutis suæ consulat? Certe si milleni dumtaxat ex universo mundo, vel ex nostra urbe unus damnandus diceretur, nonne omnibus et singulis merito timendum esset? Quando audierunt discipuli: *Unus vestrum me traditurus est,* omnes timuerunt, et seipsos interrogarunt: *Numquid ego sum?* Matth. XXVI. Quando ergo non unus e duodecim, sed præ uno salvando duodecim, imo longe plures damnandi asseruntur, quis non magis timeat? Quis non seipsum interroget quotidie: *Numquid ego sum .x. illis futurus unus?* Quare seipsum quisque examinet, quam ad partem tendat, an cum multis vivat, an potius cum paucis. Unicam habemus animam, quam si semel perdimus, perdidimus in æternum: si salvamus semel, salvavimus æternum.

CONCIO II.

SUPPLICIA DAMNATORUM CAPITALIA.

I. Ejectio a facie Dei. — II. Tenebræ tartaræ. — III. Societas demonum. — IV. Alligatio. — V. Ignis. — VI. Gelu. — VII. Confusio et pudor.

THEMA.

Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.

Matth. XXII.

Psalmo LIV. mirum aliquid legitur de Davide; optat enim et imprecatur inimicis suis, quos alioquin amare consuevit, rem ut apparet, pessimam: *Veniat mors super illos, inquit, et descendant in infernum viventes.* Itane David ille mansuetissimus, qui inimicorum suorum mortem et damnationem, uti Saulis et Absalonis acerrime deploravit, vult ut ipsi descendant in infernum viventes? Verum S. Bernardus, orat. ad fratres de monte, nodum istum solvit, dum ait, optandum reprobis, ut per meditationem pœnarum infernalium descendant ad infernum viventes, ne descendant morientes. Quod ergo David optavit suis inimicis, hoc ego vobis opto, auditores, sive amicis, sive inimicis. Et quoniam hodiernum evangelium schema nobis exhibet inferni, descendamus nunc ad illum, ne post mortem descendamus.

Paucis verbis exponit nobis Christus capitales inferorum pœnas, cum in persona regis ait: *Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.*

I. Jubetur ejici peccator de convivio nuptiali, et præcipitari in locum ab eo remotissimum:

Mitte eum, inquit, id est, ejicite; unde Matth. VIII. et XXV. dicitur *ejicite.* Quibus verbis indicatur pœna damni, quæ est aberratio ab ultimo fine, carentia visionis Dei, exilium sempiternum a cœlesti patria, amissio juris hæreditarii ad regnum cœlorum, denique jactura et confiscatio honorum omnium in sæcula sæculorum. De qua et Isa. ult. dicitur (secundum translationem aliquorum): *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Et hæc pœna visa est sanctis viris omnium gravissima, uti S. Petro, qui cum Domino abluturo sibi pedes primo acriter resisteret, dicens: *Domine, non lavabis mihi pedes in æternum,* ubi a Christo audit: *Nisi laveris te, non habebis partem mecum;* adeo territus hac voce fuit, ut statim alius fieret, dicens: *Domine, non tantum pedes, sed manus et caput.* Quod absque dubio non erat dicturus, licet strictum super se carnificis gladium vidisset. Omni ergo gladio et fulmine pejus esse cognovit, non habere partem cum Christo. S. Chrysost. hom. XXIV. in Matth. ait: « Intolerabilis quidem res est etiam gehenna, quis nesciat? Supplicium illud horribile. Tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est a beatæ illius gloriæ honore propelli, exosumque esse Christo, et audire ab illo: Non novi vos. Est enim satius mille fulmina sustinere, quam vultum illum mansuetudinis pietatisque plenum, nos tamen aversantem videre. » Sic ille. Esau cum audiret præceptam sibi a fratre primogenituram et paternam benedictionem: *Irrugit clamore magno et ejulatu magno flevit,* Gen. XXVII. Et quid est hæreditas temporalis et hominis benedictio, cum cœlesti hæreditate et divina benedictione comparata? Et si nos terreno aliquo bono spoliati, ut visu, honore, parentibus aut uxore, opibus aut domo per incendium vastata, adeo consternamur et lamentamur; quid erit perdere summum et infinitum bonum, adeoque omnia simul bona, quidquid oculos exhilarabat, quidquid gustum delectabat, quidquid aures recreabat, quidquid tactum et olfactum permulcebat, quidquid mentem satiabat? Quamquam hanc jacturam modo non valde æstimamus, quia scilicet bonum illud summum non videmus, nec satis apprehendimus; propterea quod hic carne immersi, instar noctuæ cæcutiamus, et gustum temporali dulcedine infectum habeamus, ideoque cœlestia minus sapiant nobis. « Neque enim navimus, inquit S. Chrysostomus, in hom. suprad. illorum beatitudinem præmiorum, ut infelicitatem quoque de eorum amissione scire possimus. Nos autem hanc absque dubio discemus, cum experimento cœperimus edoceri. Itaque tunc ape-

rientur oculi, tunc auferetur velamen, tunc cum ingenti dolore impii videbunt, quid inter bonum æternum ac summum, et inter hæc caduca et fragilia discriminis sit. » Quam rem pulchre declarat cardinalis Bellarminus, conc. de cruciat. gehen. Si enim rex adoptaret puerum ingenium quidem sed obscuro loco natum ea conditione, ut si pædago suo obediret, et in literis ac moribus proficeret, hæres regni esset; sin vero immorigerus et refractarius foret, ad triremes ablegaretur; et puer libros abjiceret, pædago insultaret, et pro studio nugas tractaret, sæpiusque correptus non emendaretur, ideoque aperto tandem et lecto coram eo regis testamento, ad triremes condemnaretur, qui rex esse poterat, si morem gessisset: quanta quæso, tristitia occuparet istum juvenem? Numquid non magis eum affligeret regni destinati amissio, quam labor remigando et durissima flagella? Nos vero ejusmodi pueri sumus, qui in morte primum videbimus, quale regnum perdidimus, indeque jacturam ejus magis sentiemus, quam pœnas sensuales.

II. Jubetur mitti in tenebras. Et hæc est prima pœna sensus sæpius a Domino replicata nec creditu difficilis, cum infernus sit in centro terræ, quo lumen solis aut stellarum pertingere nequaquam potest. Ignis vero infernalis urendi quidem vim habet, sed privatus est splendore, ut ait S. Basilius, orat. in Ps. XXXIII. nisi forte ad hoc tantum ut videant miseri ærumnas suas. Secundum philosophos etiam: *Sensibile supra sensum positum non facit sensationem*; atqui membra omnia damnatorum igne occupata sunt. Horribiles erant illæ tenebræ, quibus Ægyptum puniverat Dominus, Exod. X. Erant enim tam densæ, ut palpari possent, Scriptura teste: nemo tunc movebat se loco suo, quasi omnes essent vinculis constricti, ut habetur Sap. c. XVII. *Nemo etiam audebat loqui præ pavore, comedere, aut e cubili surgere, sed per silentium fame cruciabantur, nulli vacantes sensui, nisi ut præsens malum viderent*, ait Philo. Multo horribiliores erunt tenebræ infernales; quia ibi castigat Deus iudex, hic ut Pater. Propterea Dominus vocat tenebras illas *exteriores*, i. e. extremas et omnium densissimas atque horribilissimas, ita ut pene sensibus exterioribus percipi queant. Eat nunc aliquis ad cæcos et ex ipsis quærat, quanta sit miseria sedere in perpetuis tenebris. Certe Tobias visu privatus et ab angelo gaudere jussus: *Gaudium tibi sit semper*, respondit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cæli non video?* Tob. V. Et si bonus iste vir non poterat gaudere, quamdiu cæcus erat:

quale gaudium illis esse poterit, qui per omnem æternitatem in tenebris, et quidem tam densis jacebunt? Cum quis de nocte in lecto jacet, acuto aliquo dolore vexatus, quam longam et quam tristem experitur noctem! Quam anxie horas numerat, et auroram præstolatur! Proverbium est Italis: *Aspettar e non venir, giacer e non gradir, son tre cose da morir*. Omnia hæc damnatis accidunt. Expectant enim lucem semper et nunquam illa venit: jacent perpetuo et nunquam dormiunt: serviunt perpetuo et nunquam placent aut satisfaciunt. O pœnam morte ipsa crudeliorem? O noctem intempestam, et quid erit eadem æterna! Apud Isa. c. XXI. clamabant quidam ex Seir ad custodem noctis: *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* quibus respondet custos: *Venit mane et nox*, q. d. frustra expectatis diem, mane quod expectatis nox est; itaque frustra quæritis, actum est de vobis, pereundum est, ut exponit Vatablus. Idem respondetur damnatis diem præstolantibus.

III. Jubetur mitti in exteriores tenebras, per quas intelligit S. August. epist. CXX. ad Honorat. dæmones, qui in peccato sunt obstinatissimi. Tertia hæc pœna erit societas diaboli et angelorum ejus, de qua manifeste locutus Dominus. Matth. XXV. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*: et Joannes, Apoc. XX. ubi dicit in idem signum ignis et sulphuris conjiciendum esse diabolum et eos, qui non sunt scripti in libro vitæ. Idem docent ss. patres, Basilius, August. Bernardus et alii. Quid autem erit habitare cum hostibus capitalibusque et hominibusque infensissimis? S. Ignatius martyr cum Romam perduceretur leonibus objiciendus, scripsit ad Romanos: *De Syria usque ad Romam pugno ad bestias in mari, et in terra nocte dieque ligatus cum decem leopardis, hoc est, militibus, qui me custodiunt, quibus et cum benefeceris, pejores fiunt*. Sanctus etiam David inter efferatos et impios habitans lamentabatur: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar!* Psal. CXIX. Quam igitur calamitosum erit habitare cum leopardis et leonibus infernalibus. Cum incolis Cedar, (nigris et tenebrosis,) qui hominibus invidiosissimi sunt et infensissimi, nullaque ratione placari ab eis possunt! Hi sunt reguli illi, de quibus, Jer. VIII. dicitur: *Mittam vobis serpentes regulos quibus non est incantatio, et mordebunt vos*, q. d. qui nullis flecti precibus ad misericordiam poterunt. Annon videmus, quomodo diabolus torqueat obsessos? Quomodo terræ allidat? Quomodo discerpat? Marc. IX. Diabolus obsessum unum elidebat in terram et frequen-

ter in ignem et aquam, ut cum perderet. Et hoc, cum ex permissione Dei aliqua ei potestas in hominum corpora datur valde limitata. Quid faciet ergo cum plenam obtinebit in damnatos potestatem? Necem sibi Saul inferre maluit, quam in Philistæorum, hostium suorum, manus devenire, ne illuderent ei, I. Reg. ult. quanto acerbior et intolerabilior erit illusio dæmonum, cum in eorum manus reprobi devenierint.

IV. Jubetur ligatis manibus et pedibus ejici in infernum. Ubi indicatur alia pœna, vinculorum scilicet, quibus alligati reprobi movere se non poterunt, sed eidem loco semper affixi erunt. Quibus vinculis etiam dæmones servatos scribit S. Judas, in epist. sua can. Quid vero hoc tormenti sit, quærat aliquis ex infirmo, qui eidem lecto aliquamdiu ita affixus hæret, seipsum movere nequeat. Certe si quis etiam sanus adigeretur ut per totum annum in eodem semper lecto jacere deberet, quantam ille hanc pœnam reputaret? In vita Sanctæ Lydwine scribit Surius, 14. aprilis, eam aliquando viro flagitioso, cujus ipsa in confessione interpres esse debebat, pro pœnitentia ab eo postulasse, ut in lecto suo bene strato cubaret per noctem unam supinus atque immotus. Conditione cum risu accepta, quod levissima, imo nulla videretur esse hæc pœna, recipit se in lectum, mollem ac delicatum, sed non diu jacuit, quin tædio affici et quasi aculeorum intolerabiles puncturas sentire inciperet, ita ut fateatur nunquam se per omnem vitam tam male cubuisse, ob solam sibi ademptam libertatem vertendi se in unum vel alterum latus. Interea dum lecti molliem, corporis sui incolumitatem, noctis unius brevitate, vicissim scelerum suorum gravitatem, tartarei ignis æternitatem in suo illo fastidio revolvit animo, ait: *Me miserum! Si per unam noctem in molli culcitra jacere mihi immotum intolerabile videtur, qua ratione potero in gehennæ incendio perpetuo affixus jacere?* Itaque ex eo tempore vitam in melius commutavit. De gentilium impietate prodidit S. Gregorius Nazianzenus, quod Marcum Arethusium martyrem acerrime colligatum exposuerint nudum ad solem melle pertinetum morsibus vesparum atque muscarum, quas neque recedendo ex eo loco neque manibus poterat abigere. Crudele prorsus tormentum: sed martyrem consolabatur brevis supplicii et gloriæ perennitas. Inferni vero incolæ alligati manibus ac pedibus expositique morsibus vermium et facibus ignitis, neque vermes abigere poterunt, neque incendium efigere, neque levamentum, nedum

gaudium aliquod expectare in omnem æternitatem, quia Apoc. XIV. dicitur: *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam*.

V. Ibi erit fletus et stridor dentium. Quibus verbis duas alias designari pœnas inferni vult S. Hieronym. in Matth. c. X. Item auctor libri de triplici habitaculo, qui tribuitur August. tom. IX. ignis videlicet et frigoris; siquidem fletus et liquefactio oculorum ex calore nascitur: dentium vero stridor ex frigore. Quam utramque pœnam notat Job, c. XXIV. cum ait: *Transibit a calore nimio ad aquas nivium*; atque, de hac duplici quasi gehenna explicat ven. Beda, in comment. super Job, quamquam alii communiter locum hunc aliter exponunt. Quantum igitur supplicium ignis erit, quem multi in locis sine ambagibus aut parabolis minatur et asserit Dominus, ita ut de hoc supplicio infernali nulla prorsus dubitatio esse possit: *Dixit enim hoc infinita Dei sapientia: et quæ dum natos punit, est infinita Dei potentia: quod facit miris sed veris modis*, ut ait August. I. XII. de civ. Dei, c. X. Inter multa, quæ excogitata sunt reis supplicia ab hominibus, nullum acrius est igne: sed hic tamen non accedit ad ignis tartarei acerbiteriam, qui, ut dicitur, Dent. XXXII. *Succensus est in furore, Domini, et ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet*, hoc est, furiose ager ut instrumentum a Deo irato elevatum ad puniendos sine misericordia noxios. Quam impetuoso et vehemens est ignis fulminis si cum nostro comparetur? Necdum tamen æqualis est illi tartareo, qui solus intus in furore Dei succensus est. Noster ignis uti maxime præ aliis torquet supplicii, ita velocissime consumit corpora, quæ urit, et cruciari desinit: sed non sic ignis ille, qui ardebit: *Usque ad inferni novissima*, (ut habetur in Hebr. et Chald.) *usque ad infernum inferiorem*, id est, indelebiter. Quemadmodum herba a pecoribus depasta mox iterum crescit, et rursum depascitur, sic corpora damnatorum ab igne illo. Unde subditur ibi: *Devorabitque terram cum germine suo*. Ut enim aurum et salamandra in igne persistunt nec dissolvuntur: ita corpora damnatorum, quamquam illa sine doloris sensu, hæc vero cum acerrimo.

Jam vero: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante*, Isa. c. XXXIII. *quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* q. d. probate prius, stulti peccatores; an ferre queatis ignem illum: mittite vel digitum supra lumen candelæ ad semihoram; et si hoc non potestis, quomodo poteritis habitare cum ardoribus sempiternis.

VI. Ibi erit stridor dentium adeoque frigus intolerabile, ut supra vidimus, saltem probabiliter ostendi ex S. Job: neque impossibile est, intensissimum etiam frigus reperiri in inferno, vel in ipso ejus igne; siquidem etiam in fornace Babylonica altissime succensa fecit Deus medium fornacis quasi ventum roris flantem, Dan. III. Erit vero repentina et vehemens mutatio de uno extremo ad aliud, quæ nihil refrigerii, augmentum pœnæ afferet, ob repugnantiam qualitatum. Sic videmus ferrum candens e fornace in aquam immissum excitare stridorem, ob pugnam frigoris et caloris. Et si pugnant in homine qualitates et morbos creant, quid faciet tam insolita extremi ardoris et frigoris pugna in homine damnato? Typum utriusque hujus supplicii exhibuit diabolus in Japonia, conjuratus in obsessio a quodam pio christiano, Seano nomine, ut refert Cælius, in ep. Japonica missa anno 1582. cum urgeretur ad speciem pœnarum infernalium exhibendum. Respondit enim damnatos pati maxime ab igne et frigore, dumque ita loqueretur, repente obsessus factus est totus candens quasi carbo ignitus, et cepit toto corpore fumare ac sudare. Paulo post cepit dentibus stridere, toto corpore tremere et rigere, quasi in media glaciæ diu perstitisset. Quod si S. Basilio credimus, frigoris cruciatus nequaquam prioribus levior est; siquidem in orat. in quadraginta martyres ait: *Cum truculentissimus quidam tyrannus, Licinius videlicet, martyres illos vehementissime torquere vellet, dimisit illos sub noctem flante Borea in gelidissimum et congelatum lacum, ut ita nudi miserrime interirent.* A quibus unus descendit et in vicinum balneum transiit, vim frigoris non ferens. Atque hæc de frigore dicta sint juxta veterum quorundam patrum opinionem; nam recentiores theologî communiter frigus inferni negant.

VII. Ibi etiam erit confusio pudor intolerabilis, quem indicavit Christus in hodierno evangelio, cum dixit regem interesse convivium, et viso aliquo sine veste nuptiali dixisse illi: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* jussisseque eum e consessu ejici. Quæ res certe ingentem confusionem continet: velut si rex aliquis juberet alicum suum vel etiam filium ejici e palatio per carnificem et unco trahi ad supplicium. Si quis tantum a patre familias juberetur e consessu et convivio virorum honoratorum surgere et exire, ingenti pudore se affectum diceret; quanto magis hoc sentient damnati, cum e convivio filiorum Dei videbunt se ejectos, et ut vilissimorum hominum faciem exturbatos? De illis dicit Dominus, Isa. LXV. *Ecce servi mei læta-*

buntur, et vos confundemini. Illorum enim nuditas et turpitudine patebit omnibus inferni incolis, quam hic etiam coram sui similibus tegere conati sunt: nec auferet hunc pudorem societas reproborum, sed potius augebit, sicuti cum adulter juxta adulteram statuitur præ foribus ecclesiæ. Quam confundentur tunc Christiani coram ethnicis, si, infra ipsos profundius demergantur in infernum, qui hic sedebant in convivio Ecclesiæ regali? Quam confundentur principes et magnates, si videant se inter villissimos homunciones sine ullo respectu volitari et omnium pedibus proteri, imo a vilioribus sibi insultari? Quam pudefient episcopi et sacerdotes, si videant se degradatos jactari et premi inter ethnicos, Turcas et Judæos? Quam exsibilabuntur divites, nobiles, et qui in dignitate constituti erant, cum videbunt se in ordinem redactos et iis æquales vel etiam subjectos, quibus ipsi prius superbe dominabantur? Quæ confusio occupabit illos, qui hic scelera sua coram hominibus et confessariis suis tegebant, et fumum pietatis vendebant? Qui ob respectus humanos Dei cultum et salutaria remedia negligebant?

Atque hoc est, auditores, descendere ad infernum antequam moriamur, si hæc in vita nostra pensiculate meditetur: quod in vitis pp. I. VII. c. XLIV. faciebat quidam sanctus, qui dicebat: « Ego ob peccata mea inferno adjudicavi meipsum, dicoque: Esto cum his, quibus dignus es; istis post modicum annumeraberis. Video igitur ibi pares gemitus et incessabiles lacrymas: aspicio stridentes dentibus, et salientes toto corpore, et trementes a capite usque ad pedes: video et mare ignis bullientis, immensurabiles et circumfluentes et mugientes, ut putant aliqui, usque ad cælos attingere fluctus ignis, et in tremendo illo mari innumerabiles homines dejectos et una voce omnes clamantes et ululantes simul quales nemo super terram ululatus et voces unquam audierat: et sicut arenia omnis virgulti cremare, etc. » S. Greg. I. IV. dial. refert Petr. in eremitam defunctum et protinus corpori restitutum narrasse, se inferni supplicia et innumera loca flammarum vidisse atque in eis quosdam potentes hujus sæculi spectasse: qui cum jam ductus esset ut in illa et ipse mergeretur, subito angelum coruscæ habitus apparuisse, qui eum in igne mergi prohibebat dicens: *Regredere et qualiter tibi post hoc vivendum sit cautissime attende.* Reviscentem tantis se vigiliis jejuniisque constrinxit, ut eum inferni vidisse pertimuisseque tormenta, etsi taceret lingua, conversatio loqueretur. Utinam, auditores, etiam hoc nostro descensu ad infernum et nos respiciamus? Regrediamur

ergo ex inferno et nos, et ita vivamus ut ne morientes ad infernum descendamus.

CONCIO III.

CUR TAM VARIIS PŒNIS INFERNI EXAGITENTUR.

I. Cur pœna damni. — II. Cur tenebris. — III. Cur vinculis. — IV. Cur fletu. — V. Cur stridore dentium. — VI. Cur igne et cur sulphureo. — VII. Cur dæmonum societate. — VIII. Cur vermibus et cur verme conscientia.

THEMA.

Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Matth. XXII.

Rarum et memorabile factum narrat Trebellius Pollio de Mario tyranno. Hic enim cum loco natus humili artem eudendorum ensium initio pertractasset, tandem militari fortuna evectus, imperatoriam dignitatem sibi arrogavit. Sed (en fortunæ ludum) in hoc tanto honoris fastigio miles quidam, cujus opera Marius in fabrilis arte usus aliquando fuerat, gladio eum adoriens transfigit atque insultabundus ait: *Hic est gladius quem ipse fecisti.* Videmus, auditores, in hodierno evangelio iratum regem terribili mortis sententia, quasi gladio oris sui adoriri peccatorem: *Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.* Ac siquidem ex illo querere vellemus, cur tam sævo ac terribili tot suppliciorum gladio adoriatur peccatorem, diceret absque dubio, damnando peccatori: *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Tuis tam multiplicibus tamque variis sceleribus has pœnas tibi eudisti quod tibimet intrivisti, exedendum tibi. Neque hoc immerito; scriptum enim est: *Pro mensura peccati erit et plagarum modus,* Deut. XXV. rursus: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum,* Apoc. XVIII. denique, Sap. XI. *Per quæ quis peccat, per hæc et torquetur.* Cum ergo Dei justitia semper juncta sit ejusdem sapientiæ, adeoque nullam pœnam infligat, absque summa ratione; si non videre, prudenter saltem conicere possumus, quas ob causas inferi tot pœnis exagitentur; id quod hic faciemus.

I. Inferiorum et quidem omnibus communis pœna censetur pœna damni, quæ est exclusio a cœlesti beatitudine, similis confiscationi honorum, cum quis ejiciendus in exilium ad metalla, privatur omnibus bonis et redditur inhabilis ad omnia, tamquam servus pœnæ. Privat enim hominem quinque maximis bonis, cœlesti patria,

amenissima, saluberrima, felicissima spectaculo pulcherrimo, quo fruuntur beati, intendo totam mundi fabricam, et quæ in eo sunt contubernio et societate ss. angelorum et beatorum omnium, lumine gloriæ, ac consequenter visione beatifica, gloria corporis et animæ, justitia vero hæc damnatorum pœna est. Omnis enim peccator quovis peccato duo committit mala: avertit se a summo et incomparabili bono et convertit ad rem creatam, fragilem, caducam, vanam. Unde Jerem. II. ait Dominus: *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ et foderunt sibi cisternas.* Hoc velut duplex in Deum, injuria est. Itaque aversio a summo bono punitur pœna damni, seu abiectione a summo bono Deo; ut sentiat peccator, a quanto bono se averterit, conversio ad creaturam punitur pœna sensus, ut sentiat quo se converterit quam fallaci et fugaci adhæserit creaturæ: atque ita experiatur quantum sit discrimen inter fontem aquæ vivæ, Deum, et cisternas dissipatas creaturas. Quoniam igitur peccator eo ipso, quo avertit se a Deo, abjicit et contemnit Deum, præferendo ei creaturam; meretur hoc ipso excidere a summo bono et abjici a Deo. Quamdiu is in peccatis vixit, tamdiu dorsum vertit Deo. (Ita vidit impios Ezechiel in templo habentes dorsa contra altare, c. VIII.) jure igitur et Deus dorsum ei vertit in gehenna, subtrahendo ei aspectum et vultum suum desideratissimum, quemadmodum minatur, Jer. XVIII. *Dorsum et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum, q. d. sicut mihi vocanti eos dorsum averterunt, ita illis ejulantibus in gehenna vertam ego dorsum; sicut me respexerunt, ita ego ipsos respiciam.* Luculentam hujus rei figuram cernere est in Saule, qui cum posthabito Dei et Samuelis expresso mandato prædam abstulisset ab Amalec, et postularet a Samuele ut reverteretur secum ad supplicandum Domino, noluit Samuel et ait: *Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, et projecit te Dominus; ac sis rex,* I. Reg. XV. Itaque Samuel propheta: *Conversus est ut abiret, ab improbo rege, quia rex dorsum verterat mandanti prophetæ: Vade et percute Amalec et demolire, universa ejus: et quia mandatum prophetæ, ipsius Dei mandatum erat ideo addidit: Quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus.* Iterum par pari redditum. Sed quid porro actum. Discedente Samuele: *Apprehendit rex summitatem pallii ejus, quæ et scissa est: et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Israel a te hodie.* Prorsus idem agit in peccatore justitia divina. Abscindit Deo peccator summitatem pallii ejus, quia summum gloriæ titulum et esse ultimi finis adimit transfertque in creaturam. Quid